



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. VIII. De Camerariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

ribus, defectibus & criminibus interrogati, respondeant, correctiones libenter suscipiant, mandatis obtemperent. inobedientes ac rebelles, quos ad Nos deferri volumus, gravi poena compescemus.

CAP. VIII. *De Camerariis.*

Camerarii Decanis in subsidium & auxilium adjuncti & iis, legitime impeditis, substituti sunt; qui ea, quae proposita, tractata, indicata, & notata sunt, diligenter in unum librum conferant; & Decano, ad visitationes, inspectiones atque quascunque actiones procedenti, comites sint; simulque cum Decano intendant, ut res & jura Ecclesiarum debite conserventur, atque omnia & singula, quae Decano praescripta sunt, sedulo curentur.

Camerarii singulis bienniis officio suo defungentur, & simili modo ut Decani, à Nobis constituentur, ac professionem fidei fidelitatisque juramentum praestabunt.

CAP. IX. *De constitutione Camerariorum.*

Nominantur vero hac vice subsequentes: Camerarius Decani Civitatis Osnabrugensis, Dominus Martinus Fülcher, Pastor in Bissendorff.

Civitatis Widenbrugenensis, D. Iohannes Sprenger, Pastor S. Viti.

Ibungenensis, D. Theodorus Mauriti, Pastor in Hagen.

Fürstenowensis, Dominus Theodorus Lichte, Sacellanus Batbergensis.

Vördenensis, D. Alexander Hepges, Pastor Vördenensis.

Groënenbergensis, D. David Groëthaus, Pastor in Buer.

Witlacensis, D. Lucas Beckman, Pastor Vennenensis.

Pro primario Embslandiae, Dominus Ioannes Streng, Pastor in Wesewe.

Pro secundario Embslandiae, Dominus Ioannes Schöbele, Pastor in Boëckloë.

Wildeshausensis, D. Bernardus Brockman, Sacellanus Vechtenensis.

Cloppenburgenensis, D. Ioannes Brand, Pastor in Ellén.

Pro Tecklenburgenfi, & Ravensburgenfi, denominationem ex causis differimus.

CAP. X. *De Festis Conceptionis & Annuntiationis B. Mariae Virginis solemniter cum publica gratiarum actione celebrandis.*

Cum Invictissimus Imperator Romanus FERDINANDUS II, in perpetuam memoriam gratiarumque actionem, omnipotenti Deo pro gloriosis victoriis, hactenus ipsius gratia concessis, exhibendam, singulari

cultu & honore Deiparam Virginem Mariam prosequendam, pie judicaverit, ac desideraverit ut per Romanum Imperium festum Conceptionis ejusdem immaculatae, solemniter ac magifico ritu, cum gratiarum actione, quotannis celebretur; repetimus, atque in his Decretis Synodalibus pro monumento perpetuo inserimus programma illud, quod in hanc rem à nobis antehac publicatum fuit; volumusque, ut eodem die anniversario, nunc & futuris temporibus, per totam Nostram Dioecesin, preces publicae & gratiarum actiones in hanc intentionem fiant.

Sequitur

EDICTALIS PROMVLGATIO.

FRANCISCUS GUILIELMVS, Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, Praepositus Ratisbonensis, Comes de Wartenberg, & Dominus in Wald, &c. Venerabili Clero Civitatis & Dioecesis Nostrae Osnabrugensis, salutem in Domino. Cum in praecedentium aliquot annorum periculosa Ecclesiae Dei & Romani Imperii perturbatione, hostiumque machinationibus, invictissimus simul ac religiosissimus Imperator, FERDINANDVS II, auxilium de caelo ad praesentem manum Domini, evidentissimis signis ac miraculosis à Deo concessis victoriis, expertus fuerit, atque à suis majoribus, ac praesertim inclytæ domus Austriae propagatore RUDOLPHO I, dederit, pietate magis quam armis elevari familias, dilatari & firmari Imperia, stare ac parari victorias, Deumque omnipotentem, ad misericordiam suam ac beneficentiam in nos continuandam & augendam, tum maxime moveri, cum pro praestitis beneficiis & bonis demissum animum, ac debitae gratitudinis memorem, ac ejusdem voces signaque exhibentem, experitur: hinc Dei praesentem in se misericordiam, & manum auxiliatricem extollere, ac omni posteritati contestatum facere cupiens, è caelo petitas ac datas esse victorias, inde ulterius expectandas, & per aeternam gratiarum actionem impetrandas; rectissime cupit & intendit, Reginae caeli, & Ecclesiae ac Imperii contra haereses patronae ac protectricis, immaculatae semper Virginis Conceptionis diem festum, in tot tantarumque victoriarum perpetuam recordationem, solemniter celebrari, idque per universum Romanum Imperium sanciri & publicari. Nos igitur, piissimo huic desiderio haud immerito consentientes, justum ac rationabile veræ pietatis obsequium existimamus, ut divinae misericordiae opera honorifice celebrentur, ac Deo gratiae agantur, qui dedit victorias per Dominum nostrum Iesum Christum. Proinde praecipimus, hortamur, & obsecramus universos Dioecesis Nostrae subdi-

T tos,